

rum (1) rite constet ordiri primordia, recitetur, Deo gubernante, nobis primum fides sanctorum patrum, quae cunctis actionibus nostris deinceps securus velut immobile fundamentum existat » (2).

Sancta synodus respondit: « Justissimum est recitari, quod utilime provenit audiri ».

Epiphanius, notarius, ex codice synodali recitavit: « Sancta, magna et universalis synodus, quae secundum Dei gratiam et sanctionem piissimorum christianissimorum imperatorum nostrorum Valentiniani et Marciani congregata est apud Calcedonam, metropolim Bythiniae provinciae, in atrio sanctae et venerabilis Euphemiae, definivit subter annexa. Dominus noster et salvator Christus,

tuae venerandae fraternitatis brevia, consentientibus in eis suffraganeis tibi episcopis, quatenus Gradense castrum totius Venetiae fieri et Istriæ (C) metropolim ad regendam scilicet ecclesiam atque cum Dei timore dispensandam, emissâ praeceptione, concedere deberemus; quapropter, vestri compatiens moeroris necessitudini, imo etiam rabiem furentium perpendentes Langobardorum, inclinati precibus vestris, per huius praecepti seriem suprascriptum castrum Gradense tocius Venetiae fieri cum omnibus vestrae ecclesiae pertinentibus etiam Istriæ (C) metropolim perpetuo confirmamus. Statuentes quapropter apostolica auctoritate sub interminatio ne futuri judicii nulli licere nostrorum successorum vel alii cuilibet haec, quae a nobis intencione decreta sunt pia, in quoquam destruere aut convellere, quae potius firma stabilitate inconvulsâ manere difinimus aut sub anathematis vinculo perpetuis temporibus observanda. Quam ob rem hortor te semper relevare oppressos, semper corripere inquietos, ut zizania dominicam non possit soffocare messem. Gratia domini nostri Jhesu Christi et omnis caritas Dei sit semper vobiscum. — Data XII kal. maii, imperante Tiberio II. C. Augusto ».

Quo perfecto, universi episcopi voce comparvi: « Exaudi, Christe, Pelagio vitam: omnes uno consensu sanctissimi Pelagi praeceptionem et vestram sequimur confirmantes sententiam. Observandam enim ex apostolica auctoritate decernimus hanc Gradensem civitatem vestram metropolim perpetuis temporibus esse. Quicumque vero confirmationis hoc nostrae violare decretum praesumpserit, sit anathema ». Sancta synodus tertio affirmavit: « Fiat, fiat, fiat ».

(1) *B*: determinata jam sedis huius questione, rite etc.

(2) *Dopo existat glossa marginale: de fide catholica sanctorum patrum.*